

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis Tvscvlarvm Dispvlationvm Ad M Brvtvm Librvm II.
De Tolerando Dolore. Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN
M. TVLLII. CICERONIS
TVS CVLANARVM

DISPV TATIONVM
AD. M. BRVTVM
LIBRVM. II.

DE. TOLERANDO. DOLORE
Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM

IN TVS CVLANA secunda Cicero docet dolorem esse to-
lerandum, quo modo, & cur tolerandus. Vult enim
dolorem non summum esse malum, cum dedecus sit
maius malum. Hinc omnia, quae nocitura uidean-
tur, cum tolerantia prudenter cauenda, & sine cuius-
quam iniuria: idq. diuinum munus esse, ac potissimum.

C I C E R O



NEOPTOLEMVS quidem apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis; nam, omnino, haud placere: ego autem, Brute, necesse quidem mihi esse arbitror philosophari; (nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius?) sed non paucis, ut ille. difficile est enim in philosophia, pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque, aut omnia. nam nec pauca, nisi e multis, eligi possunt;

nec, qui pauca perceperit, non idem reliqua eodem studio persequetur. sed in uita tamen occupata, atque, ut Neoptolemi tum erat, militari, pauca ipsa multum saepe profunt, & ferunt fructus; si non tantos, quanti ex uniuersa philosophia percipi possunt, tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate, aut aegritudine, aut metu liberemur: uelut ex ea disputatione, quae mihi nuper habita est in Tusculano, magna uidebatur mortis effecta contemptio: quae non minimum ualet ad animum metu liberandum.

EXPLANATIO



NEOPTOLEMVS § Apud Ennium Neoptolemus ita ait: Philosophandum est paucis: nam omnino haud placet, quae sententia improbatur, quia omnino esse philosophandum, utile, & necessarium ostenditur. Neoptolemus nouus miles interpretatur. Eius uersus, atque sententiae meminerunt Appuleius, & Gellius. **N**ILH agens § otiose uiuens, uel sine dignitate extra reip. administrationem. **U**T ille. § Neoptolemus censet. **P**AUCA ipsa multum saepe profunt, § Quantulicumque processus in disciplinis. Est enim aliquo prodire tenus, si non datur ultra: ut Horatius eleganter dixit. **T**AMEN eos § intelligendum est Quamquam, aut simile.

C I C E R O

NAM, qui id, quod uitari non potest, metuit, is uere animo quieto nullo modo potest, sed qui, non modo quia necesse est mori, uerum etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam uitam comparauit, quamquam non sumus ignari, multos studiose contra esse dicturos, quod uitare nullo modo potuimus: nisi nihil omnino scriberemus. etenim, si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari uolebamus; (popularis est enim illa facultas, & effectus eloquentiae est audientium approbatio) sed si reperiiebantur non nulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent; quemq. sperandi sibi, eundem & bene dicendi finem proponerent; & cum obruerentur copia

sententiarum, atque uerborum, ieiunitatem, & famem se malle, quam ubertatem, & copiam dicerent; unde erat exortum genus Atticorum, ijs ipsis, qui id seque se profitebantur, ignotum; qui iam conuicere, paene ab ipso foro irrisi: quid futurum putamus, cum auditore populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse uideamus? est enim philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eiq. ipsi suspecta, & inuisa: ut uel, si quis uniuersam uelit uituperare, secundo id populo facere possit; uel, si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur inuadere, magna habere possit auxilia ex reliquorum philosophorum disciplinis. Nos autem uniuersae philosophiae uituperatoribus respondimus in Hortensio.

EXPLANATIO

QUOD uitari non potest, § Mors cunctis mortalibus impendens humanam uitam perturbat. **Q**UAMQVAM § occurrit futuris reprehensibus disputationum suarum. **N**ISI quod se imitari posse § Idem de Orat. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se sperat posse imitari. **I**EIUNITATE § Reprehenduntur qui in ieiunum, atque aridum dicendi genus incidunt: negligentes illam Ciceronis ubertatem, quam imitari non possunt. **P**AUCIS contenta § sed eruditis. **Q**UAM nos maxime § Academicam, siue moralem. **S**ECUNDO id populo § fauente, & comprobante. **R**ESPONDEBIMVS in Hortensio § De hoc meminit in prooemio libri I. de Finib. & Augustinus libro IIX. Confessionum.

CICERO

PRO Academia autem quae dicenda erant, satis ac-
curate in Academicis quattuor libris explicata
arbitramur. sed tamen tantum abest, ut scribi contra
nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. in ipsa enim
Graecia philosophia tanto in honore numquam fuisset, ni-
si doctissimorum contentione, dissensionibusque uiguis-
set. Quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt,
ut huius quoque generis laudem iam languenti Grae-
ciae eripiant, & perferant in hanc urbem, sicut reli-
quas omnes, quae quidem erant expetendae, studio,
atque industria sua maiores nostri transtulerunt. At-
que oratorum quidem laus ita ducta ab humili uenit

ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere
rebus, senescat, breuique tempore ad nihilum uentura
uideatur. Philosophia nascatur Latinis quidem literis
ex his temporibus; eamque nos adiuuemus; nosque ipsos
redargui, resellique patiamur. quod si ferunt animo ini-
quo, qui certis quibusdam, destinatisque sententijs quasi
addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti,
ut, etiam quae non probare soleant, ea cogantur con-
stantiae causa defendere. nos, qui sequimur probabilia,
nec ultra id, quod uerisimile occurrerit, progredi possu-
mus, & resellere sine pertinacia, & reselli sine iracun-
dia parati sumus.

EXPLANATIO

IAM languenti Graeciae, quae praeclaris temporibus artibus, & disciplinis excelluerat. **Q**UOD natura
fert, est enim rerum omnium uicissitudo. Vnde Lucanus:

In se magna ruunt, laetis hunc numina rebus

Crescendi posuere modum. Et Seneca: Laborant magna fastigia.

PHILOSOPHIA nascatur Graecorum eloquentiae decrementis eleganter opposita est noua soboles. **Q**VASI addicti, Eos reprehendit Cicero, qui alicui sectae ita se addixerunt, ut constantiae causa defendant, quae tamen ipsi non probant. **Q**UI sequimur probabilia, id quod Academicae sectae peculiare erat. **REFELLERE** sine pertinacia, & reselli sine iracundia, Mallem sic, Reselli sine pertinacia, & resellere sine iracundia. Haec Paullus Pater.

CICERO

QUOD si haec studia traducta erunt ad nostros; ne
bibliothecis quidem Graecis egebimus. in quibus
multitudo infinita librorum propter eorum est multitudi-
nem, qui scripserunt. eadem enim dicuntur a multis:
ex quo libris omnia referta sunt. quod accidet etiam no-
stris, si ad haec studia plures confluxerint. sed eos, si pos-
sumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita
etiam disserendi elegantia, ratione, & uia philosophan-
tur. Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos
appellari uolunt, quorum dicuntur esse latini sane mul-
ti libri: quos non contemno e quidem, quippe quos num-
quam legerim: sed, quia profitentur ipsi illi, qui eos scri-
bunt, se neque distingere, neque distribute, neque eleganter,
neque ornate scribere, lectionem sine ulla delecta-

tionem negligo. quid enim dicant, & quid sentiant, qui
sunt ab ea disciplina, nemo, mediocriter quidem doctus,
ignorat. quamobrem, quoniam, quemadmodum dicant,
ipsi non laborant; cur legendi sint, nisi ipsi inter
se, qui idem sentiunt, non intelligo. nam ut Platonem,
reliquosque Socraticos, & deinceps eos, qui ab his
profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non ap-
probant, aut non studiosissime consecretantur; Epicurum
autem, & Metrodorum non fere, praeter suos, quisquam
in manus sumit; sic bos Latinos si soli legunt,
qui illa recte dici putant. Nobis autem uidetur, quid-
quid literis mandetur, id commendari omnium erudi-
torum lectione debere. nec, si ipsi minus consequi possu-
mus, iccirco minus id ita faciendum esse sentimus.

EXPLANATIO

HAEC studia, philosophiae. **BIBLIOTHECIS**, id est, libris. **Locus pro locato.** **DISSERENDI**
elegantia, disputandi, & loquendi splendore. **RATIONE, & uia**, certa methodo. **LECTIONEM**,
Consummati scriptoris laus est, prodesse doctrina, & elegantia delectare: cum alterum sine altero trun-
cum sit, & mutilum. **QUI** enim dicant, Quorundam Epicureorum disputationes inanes taxat, id-
que aliarum sectarum collatione. **METRODORVM**, Hic Epicuri discipulus fuit. **COMMENDARI**
id est, tradi.

CICERO

ITAQUE mihi semper Peripateticorum, Academiaeque
consuetudo, de omnibus rebus in contrarias partes
disserendi, non ob eam causam solum placuit, quod ali-

ter non posset, quid in quaque re uerisimile esset, inueniri;
sed etiam, quod esset ea maxima dicendi exercitatio:
qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum

enim qui secuti sunt. nostra autem memoria Philo, quem nos frequenter audiuius, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum. ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti, in Tusculano, quod datum est temporis nobis, in eo consumpsimus. itaque cum ante meridiem dictioni operam dedissemus, sicut pridie feceramus; post meridiem in Aca- demiam descendimus. in qua disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere uerbis, ut altum, disputatumque est. est igitur ambulanti- bus ad

hunc modum sermo ille nobis institutus, & a tali quodam inductus exordio. A. Dici non potest, quam sim hesternae disputatione tua delectatus, uel potius adiu- tus. etsi enim mihi conscius sum, nunquam me nimis cu- pidum fuisse uitae: tamen obijciebatur interdum animo metus quidam, & dolor, cogitanti fore aliquando finem huius lucis, & amissionem omnium uitae commodorum. hoc genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, ut ni- hil minus curandum putem.

EXPLANATIO

DICENDI exercitatio } contradicendo. PHILO, } Academiae princeps. QVEM nos frequenter audi-
uimus, } Idem in Bruto testatur. FAMILIARIBVS nostris } Hirtio, Dolabella, alijs. DICTIO-
NI } declamationi oratoriae. AMBVLANTIBVS } Aristotelico more. unde etiam Peripateticis no-
men. DICI non potest, } occasi one m captat ad sequentem disputationem: qua confirmandum est, in
dolore nihil esse mali.

CICERO

M. Minime mirum id quidem. nam efficit hoc phi-
losofia: medetur animis inanes sollicitudines
destruit: cupiditatibus liberat: pellit timores. sed haec
eius uis non idem potest apud omnes: tum ualeat multum,
cum est idoneam complexa naturam. fortes enim non mo-
do fortuna adiuuat, ut est in uetere pro uerbo, sed multo
magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confir-
mat uim fortunandis. te natura excelsum quendam uide-
licet, & altum, & humana despicentem gerit: itaque

facile in animo forti contra mortem habita in se dit ora-
tio: sed haec eadem num censes apud eos ipsos ualere. ni-
si admodum paucos, a quibus inuenta, disputata, conscri-
pta sunt? quotus enim quisque philosophorum inuenitur,
qui sit ita moratus, ita animo, ac uita constitutus, ut ra-
tio postulat; qui disciplinam suam, non ostentationem
scientiae, sed legem uitae putet; qui obtemperet ipse si-
bi, & decretis suis pareat?

EXPLANATIO

EFFICIT hoc philosophia } philosophiae uis. FORTES enim } pro uerbum Terentianum in Phor-
mione. LUIVS: Fortes fortunam adiuuare aiebant. Virgilius, Audentes fortuna iuuat, & hoc: Au-
dentes forsque, deusque iuuat. Tibullus, Audendum est: fortes adiuuat ipsa Venus. HVMANA despicentem. }
In hanc sententiam est illud Papinij in Pollij laudatione, spemque metumque, domas uitio sublimior om-
ni. & quod paullo post, Celsa tu mentis ab arce Despicis errantes, humanae gaudia rides. QVOTVS
enim quisque philosophorum } id est, quotquot sunt, ad paucitatem refertur, ac si dicatur, Quam pauci.
MORATVS } moribus ornatus, dicitur etiam Moratus moribus. Terent. Quid mulieris uxorem habes,
aut quibus moratam moribus? SED legem uitae } Philosophiam uitae regulam esse, & legem honeste,
beneque uiuendi, dixit Seneca, DECRETIS } Quae Graeci δόγματα uocant: nostris modo decreta, modo
scita, modo placita appellant.

CICERO

VIDERE licet alios tanta leuitate, & iactatione, ijs
ut fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupi-
dos, gloriae non nullos; multos libidinum seruos: ut cum
eorum uita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem mi-
hi uidetur esse turpissimum. ut enim, si grammaticum
se professus quisquam, barbare loquatur; aut si absurde
canat is, qui se haberi uelit musicum, hoc turpius sit,
quod in eo ipso peccet, cuius proficitur scientiam: sic
philosophus in ratione uitae peccans, hoc turpius est,
quod in officio, cuius magister esse uult, labitur, artemque
uitae professus, delinquit in uita. A. non ne uerendum
igitur, si est ita, ut dicis, ne philosophiam falsa gloria ex-
ornes? quod est enim maius argumentum, nihil eam
prodesse, quam quosdam perfectos philosophos turpiter

uiuere? M. Nullum uero id quidem argumentum est
nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur; sal-
sumque illud, ac improbe,
Etsi segetem sunt in deteriorem datae
Fruges, tamen ipse suapte natura enitent:
Sic animi non omnes culti fructum ferunt, atque (ut in
eodem simili uerfer) ut ager, quamuis fertilis, sine cul-
tura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus.
ita est utraque res una sine altera debilis, cultura autem
animi philosophia est: quae extrahit uitia radicitus, &
praeparat animos ad satus accipiendos; eaque mandat his,
& ut ita dicam, ferit, quae adulta fructus uberrimos
ferant.

EXPLA-

EXPLANATIO

VT enim, si & elegantibus similitudinibus, docet, turpissime in uita peccari a philosophi, uita magistris. **PUGNET oratio.** & Est incongruens non in pectore, sed in labijs habere bonitatem: philosophia enim, tam ad benedicendum, quam ab bene uiuendum, reperta est. **IN ratione uitae** & in regula beneuuendi.

CICERO

AGAMVS igitur, ut coepimus: dic, si uis, de quo disputari uelis. **A.** Dolorem existimo maximum malorum omnium. **M.** Etiam ne maius, quam dedecus? **A.** Non audeo id dicere quidem: & me pudet tam cito de sententia esse deiectum. **M.** Magis esset pudendum, si in sententia permaneres. quid enim minus est dignum, quam tibi quidquam peius uideri dedecore, flagitio, turpitudine? quae ut effugias, quis est non modo non recusandus, sed ulro appetendus, subeundus, excipendus dolor? **A.** Ita prorsus existimo. quare ne sit sane summum malum dolor; malum est certe. **M.** Vides ne igitur, quantum breuiter admonitus, de doloris terrore deieceris? **A.** Video plane; sed plus desidero. **M.**

Experiar equidem: sed magna res est; animoq. mihi opus est non repugnante. **A.** Habebis id quidem. ut enim heri feci, sic nunc rationem, quo ea me cumque ducet, sequar. **M.** Primum igitur de imbecillitate multorum, & de uarijs disciplinis philosophorum loquar. quorum princeps & auctoritate, & antiquitate, Socraticus Aristippus non dubitauit summum malum dolorem dicere. deinde ad hanc eneruatam, muliebremq. sententiam satis docilem se Epicurus praebuit. hunc post Rhodius Hieronymus, dolore uacare, summum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali. ceteri, praeter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem, idem fere, quod modo tu; malum illud quidem, sed alia peiora.

EXPLANATIO

DOLOREM existimo & Disputanda propositio, Dolorem esse maximum malorem. **Q**UAM dedecus? & Id solum esse malum Stoici dicebant, sicut solam uirtutem bonum. **M**AGIS esset pudendum & nam cursum male institutum, non prosequi, sed mutare iubemur, ex prouerbio. **E**XCIPENDVS dolor & exemplum attulit Callieratidas classis Laconicae praefectus, apud Arginufas insulas, qui mori maluit, quam fuga dedecus, & turpitudinem subire. **D**ISCIPLINIS & sectis, siue, ut Graeci uocant, haeresibus. **P**HILOSOPHORVM & inquirentium de summo bono, & de summo malo. **S**OCRATICVS Aristippus & Socratis discipulus, non tamen sectator. Fuit & alter Aristippus, huius Socratici nepos, ex filia, **Μητροδιδάκτος** dictus, quasi a matre doctus. **R**HODIVS Hieronymus, & huius meminit in II. de Finibus: meminit & Seneca. **P**RAETER Zenonem & Hic in porticu docebat, quae Graeco uocabulo **σάδ** nuncupatur. ex quo sectatores eius Zenonij, & Stoici dicti sunt. **A**RISTONEM, Pyrrhonem, & De his, atque etiam Herylo, meminit Cicero in v. de Fin. **A** Pyrrhone Pyrrhonij philosophi dicti quos Graeco cognomento **Σκεπτικῶν** appellant, quasi quaestores, & consideratores. **M**ALVM illud quidem, & Stoici dolorem malum esse negabant, quia deteriorem non faciat. illis enim uirtus finis erat, & solum bonum, quod inquirebant. At Cicero dolorem malum esse concedit, sed summum negat: cum dedecus, & flagitia dolore peiora sint.

CICERO

ERGO id, quod natura ipsa, & quaedam generosa uirtus statim respuit, ne dolorem summum malum dicere, oppositq. dedecore sententia depellere, in eo, magistra uitae, tot saecula permanet philosophia. quod huic officium, quae laus, quod decus erit tanti, quod adipisci cum dolore corporis uelit, qui dolorem summum malum sibi esse persuaserit? quam porro quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse decreuerit? quis autem non miser non modo tunc, cum premetur summis doloribus, si in his est summum malum, sed etiam cum sciet id sibi posse uenire? & quis est, cui non possit? ita sit, ut omnino nemo possit esse beatus. Metrodorus quidem eum perfecte putat beatum, cui corpus bene constitutum sit, & exploratum ita semper fore. quis

autem est iste, cui id exploratum possit esse? Epicurus uero ea dicit, ut mihi quidem risus captare uideatur. affirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur: exspectas fortasse, dum dicat; patietur; perferet, non succumbet. magna mehercule laus, & eo ipso, per quem iuravi, Hercule digna: sed Epicuro, homini aspero, & duro, non est hoc satis: in Thalaridis tauro si erit, dicet, quam suauis est hoc, quam hoc non curo. suauis etiam? an parum est, si non amarum? at id quidem illi ipsi, qui dolorem malum esse negant, non solent dicere, cuiquam suauis esse, cruciari; asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum: hic, qui solum hoc malum dicit, & malorum omnium extremum, sapientem censet id suauis dicendum.

EX.

EXPLANATIO

Ergo id est sensus est, indecorum esse, si philosophia statuatur dolorem esse summum malum, quod generosa natura citra doctrinam respuit, & recusat. Quod huic officium est Refert incommoda quae sequerentur, si concedatur summum malum esse dolorem. Et quis est, cui non possit? et interrogatio est, affirmans. Cuius, non accidere potest, quod cuiquam potest. METRODORVS est Fuit hic Atheniensis praestanti memoria, & de praecipuis sectatoribus Epicuri, de quo et meminit in Tusculana prima, & in secundo de Fin. Fuit & Metrodorus Scepsius, atque alius Stratonicensis Epicuri desertor. Itemque alius magister Anaxarchi. HERCVLE digna est si tantis cruciatibus non succumberet, nam labores, & aerumnas Hercules inuicto animo superauit. ASPERO, & duro, est Ironia, quasi hoc significet: molli, & effeminato satis illud esse debuit: quod ita non fuisse miror. In Phalaridis tauro est inter cruciatus asperrimos. De Aeneo Phalaridis Agramantinorum tyranni tauro, quo homines inclusi igne subdito mugiebant, meminit Plin. lib. xxxiv. Quid, in Trist. & passim alij. ILLI ipsi est Stoici. Hic est Epicurus.

CICERO

Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem uerbis afficias, quibus Epicurus uoluptatem, homo, ut scis, uoluptarius. ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod si esset in lectulo: ego tantam uim non tribuo sapienti contra dolorem. si fortis in perferendo, officij satis est, ut laetetur etiam, non postulo. tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum, tolerandumque, difficilis. Adspice Philoctetam: cui concedendum est gementi: ipsum enim Herculem uiderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem, nihil igitur hunc uirum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolabantur: Cum e uiperino morsu uenae uiscerum

Veneno imbutae taetros cruciatus cierent.
itaque exclamat, auxilium expetens, mori cupiens:
Heu quis salvis fluctibus mandet
Me ex sublimi uertice saxi.
Iam iam absumor: conficit animam
Vis uulneris, ulceris aestus.
difficile dictu uidetur, eum non in malo esse, & magno quidem, qui ita clamare cogatur. Sed uideamus Herculem ipsum; qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat. quas hic uoces apud Sophoclem in Trachinijs edit? cui cum Deianira sanguine centauri tinctam tuuicam induisset; inhaesissetque uisceribus; ait ille:

EXPLANATIO

Quibus Epicurus uoluptatem est Improbatur Epicurus, qui dolori idem tribuat, quod uoluptati. DIXERIT sane idem est nimirum, Quam suauis est. Ut laetetur etiam, non postulo. est uideretur enim laetari sapiens, qui tortus diceret, Quam suauis est tormentum? TRISTIS enim res est est scilicet, dolor. PHILOCTETAM est Hercules comitem. de quo meminit in ii. de Fin. ubi etiam ponit duos proxime sequentes uersus, qui de Attij Tragoedia uidentur desumpti. In Oeta est monte Thessaliae. Cui cum Deianira est Trachiniae fabula Sophoclea: cuius argumentum, Infectus Hercules ab uxore Deianira inopia, ueneno Nessi cruoris.

CICERO

OMNIA dictu graua, perpesu aspera,
Quae corpore exantlata, atque animo pertuli.
Nec mihi lunonis terror implacabilis,
Nec tantum inuexit tristis Eurysibaeus mali,
Quantum una uaeors Oenei partu edita.
Haec me irretiuuit ueste furiali inscium,
Quae lateri inhaerens morsu lacerat uiscera,
Vrgensque grauius pulmonum haurit spiritus:
Iam decolorem sanguinem omnem exforbuit:

Sic corpus clade horribili absumptum extabuit.
Ipse illigatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non bifformato impetu
Centaurus ictus corpori infixit mco,
Non Graia uis, non barbara ulla inmanitas,
Non saena terris gens relegata ultimis;
Quas peragrans, undiq. omnem hinc feritatem expuli:
Sed feminea uir, feminea interimor manu.

EXPLANATIO

OMNIA dictu graua, est Versus isti luculenter translati ex Sophoclea fabula: omnis tamen aliquot. EXANTLATA est tandem superata. OENEI est Chalydoniorum regis. PARTU edita est filia Deia-

lia Deianira. **EXTABVIT.** § tabo computruit. **PESTE textili** § ueneno, quod tunica textili continetur. **TERRA edita Moles gigantum,** § Gigantes ex terra genitos tradunt poetae propter corporum ingentem molem, quos Hercules ad Vesunium flammium in Italia debellauit. **CENTAVRVS** § singularis pro plurali ponitur: quod elocutionis genus oratoribus, ac poetis est frequens. **T. Liuius:** Romanus proelio uictor. **Virgilius:** Medioq. ex holte recepi. **ICTVS** § uulnera. **QVAS peragrans** § Hercules ab Appuleio dictus est lustrator orbis, purgator ferarum, domitor gētium, qui terras peragravit. **FEMINEA interimor manu** § Apud Senecam ita lamentatur: **Dirus o nobis pudor, O turpe fatum, femina Herculeae necis Auctor feretur.**

CICERO

O NATE, uere hoc nomen usurpa patri,
Ne me occidentem matris superet caritas.
Huc arripe ad me manibus abstractam pijs.
Iam cernam, me ne, an illam potiore putes.
Parge, aude nate, illacryma patris pestibus:
Miserere, gentes nostras flebunt miserias.
Heu uirginalem me ore ploratum edere,
Quem uidit nemo ulli in gemiscentem maio.
Sic feminata uirtus afflicta occidit.
Accede nate, assiste, miserandum adspice
Euisceratum corpus lacerati patris,
Videte cuncti: tuq. caelestum fator
Lace obsecro in me uim coruscam fulminis.
Nunc nunc dolorum anxiferi torquent uertices:

Nunc serpit ardor, o ante uictoriae manus,
O pectora, o terga, o laceratorum tori,
Vestro ne pressu quondam Nemeaeus leo
Frendens efflauit grauius extremum habitum?
Haec dextra Lernam terram mactata excetra
Placauit: haec bicorporem affixit manum:
Erimanthiam haec uastificam abiecit beluam:
Haec a Tartarea tenebrica abstractam plaga:
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem:
Haec interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obseruantem arborem.
Multa alia uictrix nostra lustrauit manus,
Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus.

EXPLANATIO

O NATE, § Orat Hercules illum filium suum ex Deianira, ut pluri faciat caritatem paternam, quam maternam. **HEU uirginalem** § Recte. nam Sophocles:

Ὅσις, ὡς ἐπὶ τῆς θεῶν βέλβρυκα κελαιῶν.

FEMINATA § emollita, eneruata. **CAELESTVM fator** § Iuppiter, deorum fator, atque hominum. **LACERTORVM tori** § Toros appellamus culpam carnis musculosam: unde Torosus deriuatur. **NEMEAENS leo** § qui erat in silua Nemeaea, ab Hercule interfectus. cuius memoriae causa corium leonis portauit. Et significatur, iram debere nos patientia superare. **MACTATA excetra** § Hydra a ueteribus Latinis Excetra appellata est, quod uno caeso capite tria excrecebant. **Plaut. in Persa,** Cum excetra, cum Antheo delictari maueim, quam cum amore. Graeco uocabulo apud Latinos uisitato dicitur Echidna. Scribit Diodorus Herculem Hydram uicisse non ferro solum, sed & flammis, adhibito Iolo, qui incisam ceruicem ardente face e uestigio inureret. **BICORPOREM affixit manum:** § multitudinem Centaurorum sua dextra mactasse significat, qui bicorpores fuerunt. **ERIMANTHIAM beluam** § aprum ferocissimum, quem in Erimantho Arcadiae monte ea solertia uicit Hercules, ut uiuum super humeros ad Euristheum deferret. **VASTIFICAM** § maxime uastantem. hinc a Poetis Erimanthia pestis nuncupatur. **TRICIPITEM canem** § Historici tradunt Orem Molossorum regem ingentis magnitudinis canem habuisse perpetuum custodem, qui carnem uorans Cerberus quasi *χερσέπος* dictus sit, quiq. Pirithoum interemerit. Poetae uero Cerebrum perpetuum inferum custodem faciunt, ac tricipitem, ob tria tempora, aestatem, uer, atque hiemem, & ab Hercule tandem inde ad superos tractum. **DRACONEM** § Vulgata est fabula de dracone, auriferi Hesperidum nemoris custode, quem Hercules interfecit, pomaq. aurea reuulsi Eurystheo. **SPOLTA cepit** § spoliari solebant uicti, fusiq. hostes, atque ita de spoliis excitare trophaeum ut Aeneid. x. describitur. Haec uero Sophoclis carmina eleganti Latinitate donata a M. T. quemadmodum, & quae mox sequuntur ex Prometheo Aeschyli tragoedia, quae non existat.

CICERO

P OSSVMVS ne nos contemnere dolorem, cum ipsum Hercule tam intoleranter dolere uideamus? Veniat Aeschylus, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus: sic enim accepimus. quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtu Lemnium, unde ignis lucet mortalibus, clam diuisus? eum Prometheus dictus clepsisse dolo, poenasq. Ioui fato

expensisse supremo. has igitur poenas pendens, affixus ad Caucasum haec dicit:
Titanum soboles, socii nostri sanguinis,
Generata caelo, adspicite religatum asperis,
Vinctumq. saxis, nauem ut horrifono freto
Noctem pauentes timidi adnectunt nauitae.
Saturnius me sic infixit Iupiter,

Iouisq.

Iovisq. numen Mulcibri adscivit manus.
 Hos ille cuneos fabrica crudeli inferens,
 Perrupit artus: qua miser solertia
 Transverberatus, castrum hoc furiarum incolo.
 Jam tertio me quoque funesto die,
 Tristi aduolatu, aduncis lacerans unguibus
 Iovis satellites pastu dilaniat fero.
 Tum iecore opimo farta, & saciata affatim,
 Clangorem fundit uastum, & sublime aduolans
 Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
 Cum uero a desum inflatu renouatum est iecur,
 Tum rursus taetros auida se ad pastus refert.

Sic hunc custodem maesti cruciatus alo:
 Qui me perenni uiuum foedat miseria.
 Nanque, ut uidetis, uinclis constrictus Iouis,
 Arcere nequeo diram uolucrem a pectore.
 Sic me ipse uidiuus pestes excipio anxias,
 Amore mortis terminum inquirens mali.
 Sed longe a leto numine aspellor Iouis.
 Atque haec uetusta saeculis glomerata horridis,
 Luctifica clades nostro infixata est corpori:
 Ex quo liquatae solis ardore excidunt
 Guttae, quae saxa assidue instillant Caucaasi.

EXPLANATIO

VENIAT Aeschylus } Hic Tragoediae pater dictus est, & in Dionysijs inuocatur. primus enim Tragoedias in lucem prodidisse dicitur, & histriones uelut heroum, & heroinarum primus ornasse. **Ob furtum Lemnium** } A Lemno insula taeterrima quaeque facinorosa apud Graecos Lemnia appellatur: ex facinore, quod memorat Herodotus, & ex scelere feminarum, quae uiros suos interemerunt. In ea insula colitur Vulcanus deus ignis. Itaque furtum Lemnium intellige ignis furtum, a Lemnio Vulcano sic dictum. Porro Plato in Protagora scribit Prometheum surripuisse Vulcani, Mineruaeque artificiosam cum igne Sapientiam, eam hominum generi largitum: atque ita Sapientiam homines esse consecutos. **CLEPSISSA** } furto subtraxisse. Clepere est urfari, a κλέπτω uerbo Graeco. Plaut. Rape, clepe, harpaga. Lilius, Siquis clepsit, ne populo scelus esto, neue cui cleptum erit. Seneca Cleonaeum caput opponit, ac se tegmine ingenti clepit. **TITANVM soboles** } Verba Aeschyli, quae Latina fecit Cicero Auctor est Diodorus, a Titea matre Titanos nuncupatos: ex quibus unus fuit Iapetus Promethei pater. Ideo autem Titanas appellatur, quia ipse soboles fuit Titanum. Ferunt fabulae, Titanas ab irata contra deos terra, in eius ultionem creatos: Quidam tradunt progenitos esse, ex uno Curetum, & matre Titea: alij ex caelo, & terra. **MULCIBRI** } Vulcanum intelligit, de quo Ouidius, Mulciberis capiti Mars que, Venusque dolis. Hic per contractionem dicitur Mulcibri, loco Mulciberis. **TERTIO quoque die** } quocumque die tertio, uel alternis diebus a Propert. Vix decimo admittor nunc ego quoque die. **Iovis satellites** } Aquila significatur. **FARTA**, } plena. **AFFATIM** admodum. **TAETROS ad pastus** } ad passionem horribilem. **Me ipse uidiuus** } memet uidiuatus priuatus: ut pote constrictus uinculis. **LETO** } morte sine aerumnarum. **SAECLIS glomerata** } nam ad triginta milia annorum Prometheum, ad saxum alligatum fuisse, tradidit ipse Aeschylus. **Ex quo liquatae** } e corpore Promethei.

CICERO

Vix igitur posse uidemur ita affectum non miserum dicere: & si hunc miserum, certe dolorem malum. A. Tu quidem adhuc meam causam agis, sed hoc mox uidero: interea unde isti uersus? non enim agnosco. M. Dicam hercule: etenim recte requiris: uides ne abundare me otio? A. Quid tum? M. Fuisi saepe credo, cum Athenis esset in scholis philosophorum. A. Vero, ac libenter quidem. M. Animaduertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, uerumtamen uersus ab his admisceri orationi. A. Ac multos quidem a Dionysio Stoico. M. Probe dicis: sed is, quasi dictata, nullo delectu, nulla elegantia: Philo & proprium numerum, & electa poemata, & loco adinueniebat. itaque, postquam adamaui hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis: sed, sicubi illi defecerunt, uerti ipse multa de Graecis; ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio. Sed uides ne, poetae quid mali afferant? lamentantes inducunt fortissimos uiros: molliunt animos nostros: ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. sic ad malam domesticam disciplinam, uitamque umbratilem, & delicatam cum acceperunt etiam poetae, nervos omnes uirtutis elidunt.

EXPLANATIO

ITA affectum } ita languentem diro cruciatu, uerba Ciceronis haec sunt. **VERO** } sic libro I. de Diuin. Vero mea puella. Et in Bruto: Vero inquam Brute. **DIONYSIO Stoico** } de quo in Bruto, Assidue mecum fuit Dionysius Magnes. **DICTATA**, } praescripta. Iuuen. Donec peragat dictata magistris omnia, & non solum de litteris dicuntur, sed de alijs quoque rebus, ut dictata gladiatorum, lanistarum, & galae structorum. **HANC quasi senilem declamationem** } in qua senectus potissimum oblectamentum inueniat. **LAMENTANTES inducunt** } Sophocles Herculem, Aeschylus Prometheum. **UITAM umbratilem** } quae in umbra sub tecto agitur.

CICERO

RECTE igitur a Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille cum mores optimos, & optimum reip. statum exquireret. At uero nos, docti scilicet a Graccia, haec & a pueritia legimus, & didicimus, hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus. Sed, quid poetis irascimur? uirtutis magistri philosophi inuenti sunt, qui summum malum dolorem dicerent. at tu adolescens, cum iam tibi paullo ante dixisses uideri, rogatus a me, etiam ne magis, quam dedecus, uerbo de sententia desististi. roga hoc idem Epicurum, maius dicit esse malum mediocrem dolorem,

quam maximum dedecus: in ipso enim dedecore malum nihil esse, nisi sequantur dolores. quis igitur Epicurum sequitur dolor, cum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem? quo dedecus maius a philosopho nullum exspecto. Quare satis mihi dedisti, maius tibi uideri malum dedecus, quam dolorem. hoc ipsum enim si tenebis, intelliges, quam sit obstitendum dolori. nec tam quaerendum est, dolor malum ne sit, quam firmandus animus ad dolorem ferendum. Concludunt ratiunculis Stoici, cur non sit malum: quasi de uerbo, non de re, laboretur.

EXPLANATIO

A Platone § lib. III. de Rep. ERUDITIONEM liberalem; quae liberum facit, sublimem, fortem, magnanimum. **VERBO de sententia desististi.** § Supra dixit Auditor, Pudet me tam cito de sententia esse delectum, **IN ipso enim dedecore** § quod Stoici summum malum dicunt. **QUIS igitur Epicurum sequitur dolor,** § Epicurum illudit, dicentem, dedecus, nisi subsequatur dolor, non esse malum. **CONCLUDUNT ratiunculis** § interrogatiunculis angustis, quas non satis esse sentit. **QUASI de uerbo, non de re** § cum tamen ex rebus timiditas nascatur, non ex uocabulis.

CICERO

QUID me decipis Zeno? nam, cum id, quod mihi horribile uidetur, tu omnino malum esse negas; capior, & scire cupio, quo modo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. Nihil est, inquit, nisi quod turpe, & uiciosum est. Ad ineptias redis: illud enim, quod me angebat, non eximis, scio dolorem non esse nequitiam: desine id me docere: hoc doce, doleam, nec ne doleam, nihil interesse. Nunquam quidquam, inquit, ad beate quidem uiuendum, quod est in una uirtute positum, sed tamen est reijciendum. Cur? asperum est, contra naturam, difficile perpeſſum, triste, durum. haec copia uerborum est; quod omnes uno uerbo malum appellamus, id tot modis posse dicere. desinis tu mihi, non tollis dolorem, cum dicis asperum

contra naturam, uix quod ferri, tolerariq. possit; nec mentiris: sed re succumbere non oportebat, uerbis gloriantem, dum nihil bonum, nisi quod honestum, nihil malum, nisi quod turpe, optare hoc quidem, est, non docere, illud & melius, & uerius; omnia, quae natura aspernatur, in malis esse; quae adsciscit, in bonis. hoc posito, & uerborum concertatione sublata, tantum tamen excellere illud, quod recte amplexantur isti, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum uirtutis nomine amplectimur; ut omnia praeterea, quae bona corporis, & fortunae putantur, peregrina, & minuta uideantur, nec malum quidem ullum, nec, si unum in locum collata omnia sunt, cum turpitudinis malo comparanda.

EXPLANATIO

QUID me decipis, Zeno? § Ad ornatum figurat orationem, quasi colloquens cum Zenone Stoicae sectae auctore. **REIJCIENDVM** § id est, reiectaneum. ita enim Stoici noxia appellant. **SED re succumbere** § Zenonium est hoc, Neminem nisi re ipsa laudem tueri debere. **DVM nihil bonum** § Dogma Stoicorum est, Nihil aliud esse uere, & simpliciter bonum nisi honestum: nec aliud quidquam malum, nisi turpe. reliqua omnia indifferentia, in quibus uoluptas, & dolor. **ILLVD & melius** § ex Platonis, et Aristotelis sententia. **OPTARE hoc** § Captare, alij recte legunt. **CONCERTATIONE** § controuersia, cuius aliquando cupidiores inuenimus, quam ueritatis. **ISTI,** § Stoici. **DECORVM** § Decorum enim in omni honestate uersatur: estq. id, quod consentaneum est excellentiae hominis: hoc est, quod quaque persona dignum est, & sit, & dicitur, **Nec cum turpitudinis malo** § quia dolor sit indifferens in medio, turpe autem malum summum sit.

CICERO

QUARE, si, ut initio concessisti, turpitudinis peius est, quam dolor: nihil est plane dolor. nam, dum

tibi turpe, nec dignum uiro uidebitur, gemere, eiuſre, lamentari, frangi, debilitari dolore; cum dignitas, tum

num decus aderit; tuq. in ea intueberis, te continebis: *ecce* profecto uirtuti dolor, & animi inductione lan-
guescet. aut enim nulla uirtus est; aut contemnendus
est omnis dolor. prudentiam ne uis esse, sine qua ne in-
telligi quidem ulla uirtus potest? quid ergo? ea patietur
ne te quidquam facere nihil proficientem, & laboran-
tem? an temperantia sinet te immoderate facere quid-
quam? an colti iustitia poterit ab homine propter uim

doloris enunciant e commissa, prodente conscios, multa
officia relinquentes? quid, fortitudini, comitibusq. eius,
magnitudini animi, grauitati, patientiae, rerum hu-
manarum desipientiae quo modo respondebis? affli-
ctus ne, & iacens, & lamentabili uoce deplorans, au-
dies, uirum fortem? ut uero ita affectum ne uirum
quidem dixerit quisquam. amittenda igitur fortitudo
est, aut sepeliendus dolor.

E X P L A N A T I O

Nihil est & nullius momenti, leue est, & futile. **DEBILITARI** dolore; & Sic malo, quam **Debi-**
litari, dolere. non enim Dolere diuersum quiddam habet a Frangi, & Debilitari. atque etiam
lib. II. de Fin. coniungo, Debilitari dolore, frangi, succumbere. Sic, Dolor me debilitat, in ora-
tione pro Rab. Post. Debilitor lacrymis, in ep. ad Terentiam. Haec Paullus pater. **TUM dignitas, tum**
decus aderit; & Quid si, Dum pro Tum utrobique reponatur? Haec Paullus pater. **TE continebis,** &
nequid sapiente homine indignum, nequid indecorum facias. **AVT, enim** Argumentum est, quod
disiunctum uocant, in quo pugnantia inter sese esse oportet. **PRUDENTIA** & Rerum bonarum, &
malarum scientia est, & una ex quattuor uirtutis partibus. reliquae sunt Temperantia, Iustitia, For-
titudo. Graece *ορῶσις* dicitur. Socrates omnes uirtutes putabat esse prudentias. Plato in Legi-
bus Prudentiam uirtutum ducem esse. Aristoteles prudentem quempiam esse negat, nisi sit bonus. uult
enim prudentem bene consulere. Eorum igitur, qui propria commoda ignorant, neminem prudentem,
sed aliquem fortasse sapientem inueniri, quidam dixerunt. **TEMPERANTIA** & Graece dicitur
σωφροσύνη, id est prudentiae conseruatio, ut ait Plato in Cratulo. Est autem Temperantia, firma, & mo-
derata dominatio rationis, in impetus animi non rector. **IUSTITIA** hanc Graeci *δικαιοσύνη* uocant:
hoc est iusti intelligentiam. Est habitus animi communi utilitate conseruata suam cuique tribuens di-
gnitatem. Haec una uirtus est omnium domina, ac regina uirtutum, neque Hesperus, neque Lucifer
ita mirabilis; nam sine ea quid sunt regna, nisi magna latrocinia? **COMMISSA,** & Arcana, quae fidel
commissa sunt. **FORTITUDINI,** & *ἀνδρεία* Graeci appellant. Est considerata periculorum susceptio,
& laborum perperio. **ITA affectum** & dolori succumbentem. **NE uirum** & ne uirilem, ne robustum.
Non sexus, sed uirilitas, & robur hoc loco significatur.

C I C E R O

ECOUID scis igitur, si quid de Corinthijs tuis ami-
seris, posse habere te reliquam supellestem sal-
uam; uirtutem autem si unam amiseris, etsi amitti
non potest uirtus, sed si unam confessus fueris te non
habere, nullam te esse habiturum? Num igitur for-
tem uirum, num magno animo, num patientem, num
grauem, num humana contemnentem potes dicere aut
Philoctetam illum, (quam te enim malo dicere: sed
ille certe non fortis)

— Qui iacet in lectulo humido,
Qui ciulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum stebiles uoces refert.
non ego dolorem, dolorem esse nego: cur enim fortitudo
desideraretur? sed eum opprimi dico patientia; si me-

do est aliqua patientia: si nulla est; quid exornamus
philosophiam? aut quid eius nomine gloriosi sumus?
Pungit dolor, uel fodiat sane. si nudus es, da iugulum:
si relictus Vulcanijs armis, id est fortitudine; resiste.
haec enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet,
& deseret. Cretum quidem leges, quas siue Iuppiter,
siue Minos sanxit, de Iouis quidem sententia, ut poe-
tae ferunt, itemq. Lycurgi, laboribus erudiunt inuen-
torem, uenando, currendo, esuriendo, sitiendo, algen-
do, aestuando. Spartae uero pueri ad aram sic uerbe-
ribus accipiuntur, ut multus e uisceribus sanguis
exeat, non numquam etiam, ut cum ibi essem, audie-
bam, ad necem: quorum non modo nemo exclamauit
umquam, sed ne ingemuit quidem.

E X P L A N A T I O

ECOUID & numquid. **DE Corinthijs** Scilicet uasis de aere Corinthio, quod quidem casus miscuit,
ut ait Plinius, huius meminit Cicero Tuscul. quarta. Mixture auri pretiosissimum fuit. & nata
& signa ex eo effusa, incredibili, uel infano potius studio expetita quondam fuisse Plinius quoque in-
dicat. **AVT Philoctetam illum,** & Vel in coniunctione, Aut, mendum inest, uel aliquid des-
iderant: itaque placet legere, ut est in Maffei libro, Prometheus, aut Philoctetam. Haec Paul-
lus pater. **L E C T U L O & c.** & libro; II. de Finibus. sequentes uersus non ad Philoctetam, sed ad
saxum Lemnium referuntur. Sed Ciceroni usitatum est, antiquorum poetarum uersus; paul-
lum quandoque immutatis uerbis, ad suam sententiam traducere, ut libro XIV. epistol. ad
Atticum in Homeri uersu. Haec Paullus pater. **S E D eum** & scilicet dolorem opprimi, superari,



cohiberi, ac uinci. Si nudus es & nullo uirtutum adminiculo fulsus. sunt uerba translata. DA iugulum: & praebete uictum. Permanet in Metaphora a gladiatoribus sumpta. VULCANIIS armis, & hoc est impenetrabilibus, iniuictis, & firmis: cuiusmodi, a Vulcano fabrefacta fuisse Achilli, canit Homerus in Iliad. CRETVM quidem leges, & Exemplis docet, posse superari dolorem. De Cretensium legibus meminuit Plato in primo de legibus. MINOIS & Cretensium regis. Vide Plutarchum in Numa. SPARTAE uero pueri & De hoc uide Plutarchum in Lycurgo, & Pausaniam in Laconicis. Ad necem & id est ut ferme necarentur. Plutarchus in Lycurgo tradidit se uidisse morientes inter uerbera. Et Lucianus Anacharside scripti, Scaturarum honore affici inter uerbera exanimatos pueros.

CICERO

QVid ergo? hoc pueri possunt, uiri non poterunt? & quod mos ualet, ratio non ualebit? interest aliquid inter laborem, & dolorem. sunt finitima omnino, sed tamen differunt aliquid. labor est functio quaedam, uel animi, uel corporis, grauioris operis, & muneris: dolor autem motus asper in corpore a sensibus alienus. haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua, quam nostra, uno nomine appellat. itaque industrios homines illi studiosos, uel potius amantes doloris appellant: nos commodius laboriosos. aliud est enim laborare, aliud dolere. o uerborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia.

aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. cum uarices secabantur C. Mario, dolebat: cum aestu magno ducebat agmen, laborabat. est inter haec quaedam tamen similitudo. consuetudo enim laborum perpeffionem dolorum efficit faciliorem. itaque illi, qui Graeciae formam rerum. dederunt, corpora iuuenum firmari labore uoluerunt. quod Spartiatae etiam in feminas trassulerunt: quae ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occiduntur. illi autem uoluerunt nihil horum simile esse apud Lacaenas uirgines: quibus magis palaestra, Evrotas, sol, puluis, labor, militia in studio est, quam fertilitas barbara.

EXPLANATIO

MOS ualet & communis consensus, qui in institutum, & consuetudinem transfijt. VNO nomine & Apud Graecos πόνος. ABUNDARE te semper & Non semper abundat, qui interdum inops est. In multis quidem Latina lingua non modo non inops, sed locupletior est, quam Graeca: tam en constat inter scriptores, Graecam linguam affluentiore esse, quam Latinam. CVM uarices secabantur & Sunt uarices uenae in suris inflexae, ac obtortae. Graeci ἰζίς uocant. Auctor est Auicenna uarices accidere cursoribus, & onera baiulanti bus, & diu stantibus. Plin. in 2. sic refert, Varices in cruribus uir tantum, mulieri raro C. Marium, qui septies consul fuit, stantem sibi extrahi passum unum hominem Oppius auctor est. FIRMARI labore & tale est etiam illud Corn. Celsi: Ignauia corpus hebeat, labor firmat. IN feminas & Iisdem enim exercitijs & iuuenum, & uirginum corpora firmari, Lycurgus apud Spartanos legibus suis instituit. Quod ut periculosum ad tuendam pudicitiam exprobratur illis Pelei uerbis in Andromacha: οὐδ' αὖν ἐβούλοισί τις, Σώφρον γένοιτο Σπαρτιάδων κόρη. EVROTAS & fuit fluuius prope Lacedaemonem fluens, ad quem iuuenes, & uirgines exercitijs operam dabant. MAGIS in studio est & magis arridet ijs, qui sunt lege instituti. QVAM fertilitas barbara & id est, barbarorum luxus: quā ut concipiendo fetui incumbant: quamquam iuuentus natura duce ad generationem procliuis admodū sit.

CICERO

ERGO his laboriosis exercitationibus & dolor intercurrit non numquam: impelluntur, feriuntur, abijciuntur, cadunt: & ipse labor quasi callum quendam obducit dolori. militiam uero nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit ad modum, ad tibiam, nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio. nostri exercitus primum unde nomen habeant, uides: deinde, qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad usum uelint: uallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis esse di-

cunt. quae quidem ita geruntur apte, ut, si usus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, ut membris, pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, clamor, quanti laboris est? ex hoc ille animus in praelijs paratus ad uulnera. adduc pari animo in exercitatum militem: mulier uidebitur. cur? tantum inter est inter nouum, & ueterem exercitum, quantum experti sumus. aetas tironum plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere uulnus, consuetudo docet. quin etiam uidemus ex acie efferrī saepe saucios, & quidem rudem illum, & in exercitatum, quamuis leui iectu, ploratus turpissimos edere.

EXPLA.

EXPLANATIO

Ipsa labor quasi callum quendam obducit dolori. Quoddam neutro genere, legendum ex Carisio, cuius haec sunt lib. 1. Callum neutro genere dicitur. Cicero in Tusc. Ipse labor quasi callum quoddam obducet. Haec Paullus pater. **Q**UASI callum quendam obducit: ut scilicet minus, aut plane etiam non doleant. **S**INA anapaestis? Na ad tibiae cocentum, ac anapaesti pedis modulus pugnare solitos Spartanos, Thucydides auctor est, & meminit etiam Valerius. Constat autem anapaestus prioribus duabus syllabis breuibus, & ultima longa, ad stabilitatem quandam, atque acquabilitatem appositus pes. **N**OSTRI exercitus? Testatur Varro, Exercitum ex eo dictum, quod exercitando fiat melior. Vegetius in 2. Numerus militum exercitatur. Vnde ex re ipsa, atque opere exercitus nomen accepit, ut ei numquam liceret obliuisci, quod uocabatur. **Q**UANTVS labor agminis? Agmen dicitur exercitus incedens. **D**IMIDIATI mensis? xv. dierum. Vide Aulum Gellium in tertio. **A**DDVCZ adducito. uerbum est. **M**VLIER uidebitur. hoc est, plane mollis, atque effeminatus. Prouerbiali figura sermonis dictum est. nam sexus muliebris mollis est, & infirmus. **Q**UANTVM experti sumus. nimirum ciuili bello, quod in Philippis depugnatum est inter Pompeium, & Caesarem, cum ille tirones tantum in exercitatos, hic ueteranos habuit.

CICERO

At uero ille exercitatus, & uetus, ob eamq. rem fortior, medicum modo requirens, a quo obligetur,

O Patrocles, inquit, ad uos adueniens auxilium, & uestras manus peto, Prius quam oppeto malam pestem, mandatam hostili manu:

Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere:

Si qua sapientia magis uestra deuitari mors potest.

Namque Aesculapij liberorum saucij opplent porticus: Non potest accedi.

certe Eurypylus hic quidem est. hominem exercitatum. ubi tantum luctus continuatur? uide, quam non flebiliter respondeat; rationem etiam afferat, ut aequo animo sibi ferendum sit.

— Qui alteri exitium parat,

Eum scire oportet, sibi paratam pestem ut participet parem.

abducet Patrocles, credo, ut collocet in cubili, ut uul-

nus obliget; siquidem homo esset, sed nihil uidimus: quaerit enim, quid actum sit.

Eloquere, res. Argium proelio ut se sustinet.

non potest effari. tantum dictis, quantum factis, suppetit laboris. Quiesce igitur, & uulnus alliga, etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopos.

— Vbi fortuna Hectoris

Nostram aciem inclinam: —

& cetera explicat in dolore. sic est enim intemperans militaris in forti uiro gloria. Ergo haec ueteranus miles facere poterit, doctus uir, sapiensq. non poterit? ille uero melius, ac non paullo quidem. sed de consuetudine adhuc exercitationis loquor, nondum de ratione, & sapientia. Aniculae saepe inedia biduum, aut triduum ferunt. subduc cibum unum diem athletae: Ionem Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implorabit: ferre non posse clamabit. Consuetudinis magna uis est. Pernoctant uenatores in niue: in montibus uiri se patiuntur. inde pugiles cestibus contusi ne ingemiscunt quidem.

EXPLANATIO

A quo obligetur, & fascijs, & ligamentis, quibus Medicus uulnera obligat. **O** PATROCLES, & Sunt uersus iambici ueluti Tragoediae Latinae. Translatum autem est argumentum de Iliad. a. ubi occurrit Eurypylus ab Alexandro uulneratus. **H**OSTILI manu? Alexandri, cuius sagitta pere uisus est Eurypylus in femore. **S**I QV IDEM homo esset? id est, siquidem aliquid in eo humanitatis esset. **A**ESOPVS? tragoe-diarum actor nobilis Ciceronis tempore: de quo mentionem facit in ep. lib. 7. ad Marium, Deliciae uero tuae, noster Aesopos: & Horatius: Quae grauis Aesopos, quae doctus Roscius egit. **V**BI fortuna Hectoris? uerba sunt Eurypyli. **I**N forti uiro? scilicet, Eurypilo. **D**E consuetudine? quae naturae uim plerumq. obtinet. **A**NICVLAE? Senes enim inediae patientiores sunt, Hippocrate etiam teste, propter caloris defectum. **A**THLETAE? cui largo cibo opus est, unde Athletica uita, & Athletice uiuere in prouerbium abiit. **I**ONEM Olympium, & propter ludos Olympicos in honorem Iouis fieri solitos. **C**ESTIBVS? Homerus in Iliad. v. in ludis Patrocli funeralibus celebrat cestus Epei, & Eurypali pugilum. Quem totum locum imitatus est Virgilius in v. Aeneidos.

CICERO

Sed, quid hos, quibus Olympiorum uictoria consilatus ille antiquus uidetur? gladiatores, aut perditii homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quo mo-

do illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter uitare? quam saepe apparet, nihil eos malle, quam uel domino satisfacere, uel populo mitti etiam

etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quaerant quid uelint: si satisfactum ijs sit, se uelle decumbere. quis mediocre gladiator ingenuus? quis uictum mutauit unquam? quis non modo sterit, uerum etiam decubuit curpiter? quis, cum decubisset, ferrum recipere iussus, collum contra uictum exercitatio, meditatio, consuetudo ualet. ergo hoc poterit

Samnis, spurcus homo, uita illa dignus, locoq:

Vir natus ad gloriam: ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione, & ratione corroboret. Crudele gladiatorum spectaculum, & inhumanum non nullis uideri solet: & haud scio an ita sit, ut nunc sit. cum uero fontes ferro depugnabant, auribus fortasse multatae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem, & mortem disciplina.

EXPLANATIO

CONSOLATVS ille antiquus & nobilis, & gloriosus, non qui post oppressam temp. unius Caesaris arbitrio dabatur. ACCIPERE plagam malunt & ut se magnanimos ostendant. DOMINO & idest editori muneris gladiatorij. VEL populo & in cuius gratiam edebantur hi ludi. DECUMBERE & succumbere, oppressam iacere. FERRVM recipere iussus & cum scilicet diceretur ei, Da iugulum, quemadmodum paullo supra scripsit Cicero. SAMNIS, & Versus est Lucilij de Aescernino gladiatore. ob conuicium dicitur. Samnitum enim nationem gladiatoriam fuisse accepimus. SPURCVS & sordidus. VITA illa & gladiatorij. CRUDELE & inhumanum, in quo homo occiditur in hominis uoluptatem. FONTES & damna ti ob flagitia: tales enim ad gladiaturam destinari consueuerant. AVRIBVS fortasse multatae & audiri fortasse poterant ex philosophis disciplinae multatae, quibus despicerentur mors, & dolor. NVLLA fortior & quam gladiatores in arena spectare fortiter pugnantes.

CICERO

DE exercitatione, & consuetudine, & commentatione dixi: agesis, nunc de ratione uideamus. nisi quid nis ad haec. A. Ego ne ut te interpellem? ne hoc quidem uellem: ita me ad credendum tua ducit oratio. M. Sit ne igitur malum dolor, nec ne, Stoici uiderint, qui contortulis quibusdam, ac minutis conclusunculis, nec ad sensus permanentibus, effici uolunt, non esse malum dolorem. ego illud, quidquid sit, tantum esse, quantum uideatur, non puto: falsa q. eius uisione, & specie moueri homines dico uehementius, doloremq. eis omnem esse tolerabilem. unde igitur ordiar: in eadem breuiter attingam, quae modo dixi, quo facilius oratio progredi possit longius? Inter omnes igitur hoc constat, nec

doctos homines solum, sed etiam indoctos; uirorum esse fortium, & magnanimorum, & patientium, & humana uincendum, toleranter dolorem pati. nec uero quaquam fuit, qui enim, qui ita pateretur, non laudandum putaret. quod ergo & postulatur a fortibus, & laudatur, cum sit id aut extimescere ueniens, aut non ferre praesens, non ne turpe est? atqui uide, ne, cum omnes re hae animi affectiones uirtutes appellentur, non sic hoc proprium nomen omnium, sed ab ea una, quae ceteris excellat, omnes nominatae sint. appellata est enim a uiro uirtus: uiri autem propria maxime est fortitudo: cuius munera duo maxima sunt, mortis, dolorisq. contemptio.

EXPLANATIO

COMMENTATIONE & mentis agitatione erumpentis ad opus. AGESIS: & hortantis particula. Transit autem ad ostendendum tolerabilem, & tolerandum esse dolorem, & contra praecepta Epicurae explicat quaedam praecepta fortitudinis. INTERPELLEM? & interrumpam orationem tuam. STOICI uiderint & qui malum esse negant. CONTORTVLIS & indirectis. DOLOREM & dolor est de praesenti malo, & timor de uenturo. AB ea una, & fortitudine, quam proprie uirtutem dici uolunt. A VIRO uirtus: & Laetantius in lib. de Opificio, Vir, inquit, nominatus est, quod in eo maior uis est, quam in femina: & hinc uirtus nomen accepit. unde cum Virum dicimus, non tam sexum significamus, quam robustum, & fortem. uiri enim propria uiriliter est, & robur.

CICERO

VTENDVM est igitur his, si uirtutis compotes, uel potius si uiri uolumus esse; quoniam a uiris uirtus nomen est mutata. quacres fortasse, quo modo: & recte: talem enim medicinam philosophia proficitur. Venit Epicurus, homo minime malus, uel potius uir optimus: tantum monet, quantum intelligit: negligit, inquit, dolorem, quis hoc dicit? idem, qui dolorem summum

malum, uix satis constanter. audiamus, si summus dolor est, inquit, breuem esse necesse est. A. Iteradum eadem ista mihi non enim intelligo, quid summum dicas esse, quid breue. M. Summum, quo nihil sit superius: breue, quo nihil breuius. contemno magnitudinem doloris, a qua me breuitas temporis uindictabit ante paene, quam uenerit, sed, si est tantus dolor, quantum Philostrate

tae; bene plane magnus mihi quidem uidetur, sed tamen non summus. nihil enim dolet, nisi pes: possunt oculi: potest caput, latera, pulmones: possunt omnia. longe igitur abest a summo dolore, ergo inquit, dolor diuturnus habet laetitiae plus, quam molestiae. Nunc ego non possum, tantum hominem nihil sapere, dicere; sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem

(summum autem dico, etiam si decem atomis est maior alius) non continuo dico esse breuem: multosq. possum bonos uiros nominare, qui complures annos doloribus podagrae crucientur maximis. Sed homo cautus nunquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum, ut sciam, quid summum dicat in dolore, quid breue in tempore:

EXPLANATIO

Vix satis constanter. 3 suadet enim inter se pugnantia qui dicit dolorem summum esse malum, sed tamen negligendum tamquam in eo nihil mali sit. ITERADUM eadem ista mihi 3 Versus est in Luullo, Age, alta, mane, audi, iteradum eadem & ista mihi. SVMMVM, 3 maximum, supremumq. sic Virgilius. Summe deum, pro, maxime deorum. LATERA 3 laterum morbus, acutus est. Pleureticus Graeco uocabulo dicitur. TANTVM hominem 3 Epicurum intelligit, de quo sic inquit Lucretius Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes Exoriens stellas extinxit aetherius Sol.

NON continuo 3 non statim.

CICERO

OMITTAMVS igitur hunc, nihil prorsus dicentem; cogamusq. confiteri, non esse ab eo doloris remedia quaerenda, qui dolorem malorum omnium maximum dixerit. quamuis idem forticulum se in torminibus, & in stranguria sua praebat. aliunde igitur est quaerenda medicina, & maxime quidem, si, quid maxime consentaneum sit, quaerimus, ab ijs, quibus, quod honestum sit, summum bonum, quod turpe, summum uidetur malum. his tu praesentibus gemere, & te iactare non audebis profecto. loquetur enim eorum uoce uirtus ipsa tecum. Tu ne, cum pueros Lacedaemone, adolentes Olympiae, barbaros in arena uideris excipientes grauissimas plagas, & ferentes silentio; si te forte dolor aliquis peruellerit, exclamabis ut mulier? non constanter, & sedate feres? Ferri non potest:

natura non patitur. Audio, pueri ferunt gloria ducti, ferunt pudore alij, multi metu: & tamen ueremur, ut hoc, quod a tam multis, & quod tot locis perferatur, natura patiat? illa uero non modo patitur, uerum etiam postulat: nihil enim habet praestantius, nihil, quod magis expetat, quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari uolo, sed utor, ut quammaxime significem, pluribus. uolo autem dicere, illud homini longe optimum esse, quod ipsum sit optimum per se, a uirtute profectum, uel in ipsa uirtute situm, sua sponte laudabile: quod quidem citius dixerim solum, quam summum bonum. Atque, ut haec de honesto, sic de turpi contraria. nihil tam taetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius.

EXPLANATIO

FORTICVLVM se in torminibus, 3 Obiisse Epicurum calculo urinae exitum impediens, Laetius testatur, atque Hermachus, siue Idomeneus, ad quem iam moriens epistolam scripsit, quam Cicero de Fin. lib. II. interpretatur. Tormina, uel ut Nonius, Tormines, Graece dysenteria, & Torminosus uocabulo Graeco dysentericus dicitur. In torminibus intestina exulcerantur, ex his cruor manat, frequens deiciendi cupiditas, dolor in ano est. auctor Corn. Celsus in. I. II. Ait Galenus dysenteriam fieri quando materia exuberans calore aestatis inficitur, & sit falsa. Et in stranguria 3 utinae reddendae difficultate. Ab ijs, 3 scilicet Stoicis. EXCLAMABIS ut mulier? 3 Interrogatio est, affirmans contrarium. SEDATE 3 aequanimiter, animo quieto. VNAM rem 3 uirtutem.

CICERO

QUOD si tibi persuasum est: (principio enim dixisti, plus in dedecore mali tibi uideri, quam in dolore) reliquum est, ut tute tibi imperes. quamquam hoc nescio quo modo dicatur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat: non inscite tamen dicitur, est enim animus in partes distributus duas: quarum alter rationis est particeps, alter expers. cum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coerceat temeritatem. est in animis om-

nium fere natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatum quodam modo, & languidum. si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius: sed praesto est domina omnium, & regina ratio, quae connixa per se, & progressa longius, sit perfecta uirtus, haec ut imperet illi parti animi, quae oboedire debet, id uidendum est uiro. quodam modo, inquit? uelut seruo dominus, uelut imperator militi, uelut parens filio. si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse molem; si se lam-

lamenti muliebriter, lacrymisq. dedit; uinciat, & constringatur amicorum, propinquorumq. custodijs. saepe enim uidemus fractos pudore, qui ratione nulla uincereentur. ergo hos quidem, ut famulos, uinclis ac cu

stodia arceamus. qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi; hos admonitu simili oportebit, ut bonos milites, reuocatos dignitatem tueri.

EXPLANATIO

TVRE tibi imperes. § Pulcherrimam esse aiunt uictoriam sui ipsius. illum uero sibi ipsi imperare, cuius ratio in imperio sit, appetitus in seruitute. **MOLLE** quiddam, § Haec est pars appetitus, & uoluptatis. **CONNIXA**, § suis met adminiculis innixa, nihil externae opis indiga. **QUONAM** modo § non enim unum est imperandi genus, ita ut animorum uarietas uario imperandi genere sit coercenda. **FRACTOS pudore**, § Non alia de causa Lacedaemonij ex instituto seruos ebrios producebant ante conspectum adolescentum, nisi ut pudore deformitatis deterriti abstinerent ab illo uitio. **BONOS milites**, § Apud Lianum longae sunt conciones imperatoriae, quibus militaris alacritas excitatur.

CICERO

NON nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur, uel modice potius: *Pedentim, inquit, ite, & sedato nisu; ne succussu arripiat maior dolor. Pacuius hoc melius, quam Sophocles. apud illum enim perquam flebiliter Ulysses lamentatur in uulnere: tamen huic leuiter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae grauitatem intuentes, non dubitarunt dicere:*

— Tu quoque Ulysses,
Quamquam grauitate cernimus ictum,
Nimis es paene animo molli, qui
Consuetus in armis acuum agere.
intelligit poeta prudens, ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram. atque ille non immoderate magno in dolore,
Retinete, tenete, opprimate, ulcus
Nudate. heu miserum me, excrucior.
incipit labi: demde illico desinit.

*Operite, abscondite, iam iam
Dimittite: nam atactu & quassu
Saeuum amplificat dolorem.
Uides ne, ut obmutuei it non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? itaque in extremis Niptris alioquoque obiurgat, idq. moriens:
Conqueri fortunam aduersam, non lamentari, decet.
Id uiri est officium: fletus muliebri ingenio additus.
Huius animi pars illa mollior rationi sic paruit, ut fenore imperatori miles prudens, in quo uiro erit perfecta sapientia, (quem adhuc nos quidem uidimus neminem: sed philosophorum sententijs, qualis futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur) is igitur, si ea ratio, quae erit in eo perfecta, atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus parens probis filij nutu, quod uolet, conficiet, nullo labore, nulla molestia: eriget ipse se, suscitabit, instruet, armabit, ut, tamquam hosti, sic obsistat dolori.*

EXPLANATIO

NIPTRIS § Tragoediae Sophocleae nomen. Niptra dicitur, quasi lauacra, a Graeco uerbo *νίτρον*, quod significat lauo. **ILLE** sapientissimus Graeciae § Ulixem intellegit. **PACUIUS** hoc melius, quam Sophocles. § Videtur Pacuius conuertisse tragoediam Sophoclis inscriptam, Niptra, de qua meminit Aristoteles in Arte poetica, omisso scriptoris nomine. **LEUITER gementi** § more mulierculae. **TU** quoque Ulysses, § Verba sunt Sophoclis poetae Graeci, quae Pacuius Brundisinus conuertit. **ATQUE** ille § quae sequuntur, non de Ulyxe, sed de alio quopiam accipienda sunt; quippe qui moriens alios obiurgat: id quod in Ulixem non congruit. **INCIPIT labi**: § Verba sunt Ciceronis, qui morientis illius inconstantiam animi notat, & lapsum in dedecus. **DEINDE** illico desinit § labi scilicet. Rursus uero se ad doloris tolerantiam conuersum ostendit proxime sequentibus uersibus. **QUASSU** § concussione. **IN** extremis Niptris § in extrema parte tragoediae, quae pluralitatis nominie inscribitur. **NIPTRA**, hoc est lauacra. **HUIUS** § iam obiurgantis. **PARTI** imperabit inferiori § id est, appetitui.

CICERO

QVAE sunt ista arma? contentio, confirmatio, sermoq. intimus, cum ipse secum, caue turpe quidquam, languidum, non uirile. obuersentur species honestae animo: Zeno proponatur Eleates, qui perpeus est omnia potius, quam conscios delendae tyrannidis indicaret. de Anaxarcho Democritio cogitetur; qui cum in manus Cyprij Nicocreonis regis incidisset, nullum genus supplicij deprecatus est, neque recusauit. Calanus Indus, indoctus, ac barbarus, in radicibus Caueasi natus, sua uoluntate uiuus combustus est. nos, si pes condoluit, si dens: sed fac totum dolere corpus: ferre non possumus. opinio est enim quaedam esse

minata, ac leuis, nec in dolore magis, quam eadem in uoluptate; qua cum liquecimus, fluimusq. mollitia, apud aculeum sine clamore ferre non possumus. at uero C. Marius, rusticanus uir, sed plane uir, cum secaretur, ut supra dixi, principio uetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. cur ergo postea alij ualuit auctoritas. uides ne igitur opinionis esse, non naturae malum? & tamen fuisse aculeum morsum doloris, idem Marius ostendit. crux enim alterum non praebuit. ita & tulit dolorem ut uir; & ut homo, maiorem ferre sine causa necessaria uoluit.

EX-

EXPLANATIO

CAve turpe quidquam ꝓ scilicet cogites, siue dicas, aut facias. Verba haec sunt, quae secum dicit sapiens. **ZENO Eleates** ꝓ celebratissima est Zenonis huiusce in perferendis doloribus cruciatibus ue patientia: de qua, quemadmodum & Anaxarchi, & Calani, uide Valer. Laertium, Plutarchum, & alios. Dicitur Eleates a patria Elea, quae ciuitas est Lucaniae. Eadē fuit Parmenidis patria. **ANAXARCHO**, **Democritio** ꝓ hoc est Democriti auditore, & sectatore. **NICOCREONTIS regis** ꝓ Nominatur a Plutarco. in Alex. **CALANVS Indus** ꝓ Gymnosophista hic fuit, & secundum patriam legem se ipsum uiuus exussit. lib. 1. de Diuinat. & praeter alios uide Arrianum de rebus gestis Alexandri. **DEPRECATVS est** ꝓ recusauit. **POSTEA alii** ꝓ secti sunt, laborant es uaricibus. **PLANE uir** ꝓ id est, uiriliter. **CRVS enim alterum non praebuit.** ꝓ Nam respondisse dicitur, curationem non esse eo dolore dignam. **VT uir;** ꝓ uiriliter. **VT homo;** ꝓ tamquam qui ex humana teneritudine doris morsu moueretur.

CICERO

TOTVM igitur in eo est, ut tibi imperes. ostendi autem, quod esset imperandi genus. Atque haec cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignum sit, non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit. ut enim sit in proelio, ut ignauus miles, ac timidus, simul ac uiderit hostem, abiecto scuto fugiat, quantum possit, ob eamque causam pereat non numquam, etiam in tegro corpore; cum ei, qui steterit, nihil tale euenit: sic, qui doloris speciem ferre non possunt, abiciunt se, atque ita afflicti, & exanimati iacent; qui autem resisterunt, discedunt saepissime superiores. sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. ut ouera conten-

tis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt: similissime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. & si uerum quaerimus, in omnibus officijs persequendis animi est adhibenda contentio. ea est sola officij tamquam custodia. Sed hoc quidem in dolore maxime est prouidendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignaue, ne quid seruiliter, muliebriter ue faciamus; in primisque refutetur, ac reiciatur Philoſteteus ille clamor. ingemiscere non numquam uiro concessum est, idque raro: eiulatus ne mulieri quidem. & hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi uetuerunt.

EXPLANATIO

ABIECTO scuto ꝓ ut possit expeditus fugere. **CONTENTIS corporibus** ꝓ obfirmatis corporibus cohibitione spiritus. **PRESSVM** ꝓ pressionem. **REFUTETVR,** ꝓ tamquam indecorus uiro. **INGEMISCERE** ꝓ Sic apud Virgilium Aeneas:
Ingemit, & duplices tendens ad sidera manus,
Talia uoce refert &c. **EIVLATUS** ꝓ Lessum id uocabant. **DVODECIM tabulae uetuerunt.** ꝓ In XII. tab. Mulieres nel effum funeris ergo habento. Meminit Cicero lib. 11. de legibus.

CICERO

Nec uero unquam ne ingemiscit quidem uir fortis ac sapiens; nisi forte, ut se intendat ad firmitatem; ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt. faciunt idem, cum exercentur, athletae. pugiles uero, etiam cum feriunt aduersarium, in iactandis cestibus ingemiscunt: non quod doleant, animo ue succumbant; sed quia in profundenda uoce omne corpus intenditur, uenitque plaga uehementior. quid? qui uolunt exclamare maius, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus elici uocem, & fundi uidemus? toto corpore, atque omnibus unguibus, ut dicitur, contentioni uocis asseruiunt. genu mehercule M. Antonium uidi, cum contente ipse pro se lege Varia diceret, terram tangere. ut enim balistae lapidum, & reliqua tormenta telorum eo grauiores emissiones habent, quo sunt contenta,

atque adducta uehementius: sic uox, sic cursus, sic plaga hoc grauior, quo est missa contentius. cuius contentio nis cum tanta uis sit; si gemitus in dolore ad confirmandum animum ualebit, utemur: sin erit ille gemitus lamentabilis, si imbecillus, si abiectus, si flebilis ei, qui se dederit, uix eum uirum dixerim. qui quidem gemitus si leuationis aliquid afferret; tamen uideremus, quid esset fortis, & animosi uiri: cum uero nihil imminuat doloris; cur frustra turpes esse uolumus; quid est enim fletu muliebri uiro turpius? Atque hoc praecipuum, quod de dolore datur, patet latius. omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. ira exardescit: libido concitatur: in eandem arcem confugiendum est: eadem sunt arma sumenda. Sed, quoniam de dolore loquimur, illa omittamus.

IN *stadio* § Stadium est locus cursus. Est & Stadium octava pars miliarij. uide Plinium, & Columel. *Iam. OMNIBVS unguis*, § Prouerbiale est, quod significat, omnibus uiribus, omni nixu, conatuq. totius corporis. *M. Antonium* § in signem illum oratorem, quem in lib. de Orat. loquentem introducit. *PRO se.* § Cum ad L. Crassi tribunal, postulatus in cesti, se defenderet. *LEGE Varia* § a Q. Vario trib. pleb. lata: cuius Cicero in oratione pro Scauro, & in Bruto meminit, & Pedianus Asconius. *Hoc grauior* § tanto grauior. *QVO contentius* § tanto contentius. *IN eandem arcem.* § In eandem animi contentionem, quae, ut multis iam expositum est, munit contra dolorem; Cicero metaphoricè tamquam in arcem confugiendum esse docet, ad repellendum impetum irascentiae, & libidinis. Arx enim locus est munitissimus ad salutem comparatus, quod & Aufonius testatur illo uersu: Urbibus in tutis munitior urbibus est arx. &, ut Asconius inquit, Arx sedes tyranni dicitur.

CICERO

AD ferendum igitur dolorem placide, & sedate, plurimum proficit, toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honestum sit. sumus enim natura, ut ante dixi, (dicendum est enim saepius) studiosissimi, appetentissimiq. honestatis. cuius si quasi lumen aliquod adspexerimus; nihil est, quod, ut eo potiamur, non parati sumus & ferre, & perpeti. Ex hoc cursu, atque impetu animorum ad ueram laudem, atque honestatem illa pericula aduentur in proelijs. non sentiunt uiri fortes in acie uulnera, uel sentiunt, sed mori malunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoueri. Fulgentes gladios hostium uidebant Decij, cum in aciem eorum iruebant. his leuabat omnem uulnerum metum nobilitas mortis, & gloria. Num tum ingemuisse Epaminondam putas, cum una cum sanguine uitam effluere sentiret? imperantem enim patriam Lacedaemonijs relinquebat, quam acceperat seruientem. Haec sunt solatia,

haec somenta summorum dolorum. Dices, quid in pace, quid domi? quid in lectulo? ad philosophos me reuocas, qui in aciem non saepe prodeunt. e quibus, homo sane leuis, Heracleotes Dionysius, cum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore deuictus est. nam, cum ex renibus laboraret, ipso in euulatu clamitabat, falsa esse illa, quae artea de dolore ipse sensisset. quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quae nam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: quia, cum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti, malum esse dolorem. plurimos autem annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum; malum est igitur dolor. tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, uersum ex Epigonis ferunt dixisse:

Audis ne haec, Amphiarae, sub terram abdite? Zenonem significabat: a quo degenerare illum dolebat.

EXPLANATIO

DICENDVM est enim saepius § Pulchra, ut inquit Plato, bis terq. repetenda sunt: &, ut ait Seneca, numquam nimis dicitur, quod numquam satis. *NON sentiunt uulnera* § dum scilicet calescunt in proelio. *DECII* § tres illi, pater, filius, & nepos cognomento Mures, qui pro salute reip. Rom. se morti deuouerunt. Hos Lucanus appellat, Lustrales belli animas. *IMPERANTEM enim* § Manifestum est gloriam Thebanorum cum Epaminonda natam, cum illo extinctam. auctores Trogius, Probus Aemilius, & ceteri. *NON saepe prodeunt* § raro prodeunt: Philosophus otio litterario uitam degit: legitimus tamen Socratem, & Xenophontem rebus bellicis sese immiscuisse. *HERACLEOTES* § ab Heraclea Bosphori urbe. *Ex renibus laboraret,* § Nobilissimi medicorum Nephreticos Graeco uocabulo appellant laborantes morbo renum. *νεφρὸς enim Graece ren,* & *νεφρῖτις morbus renum:* quem *ὀξείαν νόσον*, id est acutum morbum dicunt. *Ex Epigonis* § Tragoedia est Euripidis: in qua agitur de secundo bello Thebano, quod duce Alcmaeone confecerunt geniti ex filijs illorum, qui in primo bello ad Thebas mortem oppetierunt. Epigoni enim generali uocabulo dicti sunt, quasi post geniti. *AMPHIARAE,* § Fuit hic Alcmaeonis pater, qui primo bello Thebano una cum curru hiatu terrae absorptus esse traditur. Meminit Statius in Thebaide.

CICERO

AT non noster Posidonius: quem & saepe ipse uidi; & id dicam, quod solebat narrare Pompeius se, cum Rhodum uenisset decedens ex Syria, audire uoluisse Posidonium, sed, cum audiisset eum grauius esse aegrum, quod uehementer eius artus laborarent, uoluisse tamen nobilissimum philosophum uisere: què ut uidiisset, & salutauisset, honorificisq. uerbis profectus esset, molesteq. se dixisset ferre, quod eum non posset audire; At ille, tu uero, inquit, potes; nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus uir

ad me uenerit. itaque narrabat eum grauius, & copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset cubantem disputasse: cumq. quasi facies ei doloris animo uerentur, saepe dixisse, nihil agis dolor, quauis sis molestus; numquam te esse confitebor malum. Omninoq. omnes clari, & nobilitati labores contemendo sunt etiã tolerabiles. uidemus ne, apud quos eorum ludorum, qui gymnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab his, qui in id certamen descendunt, denitari dolorẽ. Apud quos autem uenandi, & equitandi laus uiget, qui hanc peteunt, nullam fugiunt

fugiant dolorem. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? quae flamma est, per quam non cucurrerint ū, qui haec olim punctis singulis colligebant: itaque semper Africanus Socraticum Xenophonem in manibus habebat: cuius in primis laudabat illud: quod diceret, eosdem labores non esse aequae graues imperatori, & militi; quod ipse bonos laborem leuiorem faceret imperatorum. Sed tamen hoc euenit, ut in uulgus

insipientium opinio ualeat honestatis, cum ipsam uideri non possint. itaque fama, & multitudinis iudicio mouentur, ut id honestum putent, quod a plerisque laudatur. Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen eius iudicio stare nolim, nec, quod illa putet, idem te putare pulcherrimum. tuo tibi iudicio est utendum. tibi si recte probanti placebis, tum non modo tu te uiceris, quod paullo ante praecipiebam, sed omnes, & omnia.

EXPLANATIO

AT non nosster Posidonius: & scilicet, deductus est de Stoicorum sententia? Strabo in xiv. testatur Posidonium fuisse Epamiensem ex Syria, sed Rhodium existimatum, quia Rhodi uixit, & Rhodi philosophatus est. Nosster: quia Rhodi eo praeceptoratus est Cicero, id quod Plutarchus quoque testatur. **EIVS ARTUS LABORARENT** & articulari morbo laboraret: Hunc morbum Melissophyllon herba sedari tradit Plin. in xxi. **TANTVS VIR** & quantus tum erat Pompeius in Romana repub. **CVBANTEM** & aegro tantem in lectulo. **NIHIL AGIS DOLOR**, & uerbum Stoicae uirilittatis plenum. Stoici dolorem malum esse negant, sed molestum esse admittunt. **GYMNICI** & γυμνός Graece nudus significat: unde gymnici ludi appellantur, quibus nudata corpora exercentur. **PETISSVNT**, & expetunt. lib. i. de Diu. Lucret. lib. v. Au rasq. petissens. **QVAE FLAMMA** & Metaphorice dicit nullum periculum recusari ab ijs, qui gloriae studio aguntur, dum uoti compotes fiant. gloria enim est fax mentis, & sola animos mortalium perurit in flammam atq. ad magna capescenda, ut uiri magni excellentia, animi praestantes, summum bonorum in gloria collocauerint. **SOCRATICVM XENOPHONTEM** & Paediam Cyri, hoc est, institutionem Cyri, significat, quam luculenter scribit Xenophon Atticus, Socratis discipulus: de quo opere Cicero meminit in ep. ad Papirium Paerum, ac in ep. ad Quintum fratrem. & in Orat. sic laudat Xenophontem, ut eius uoce Musas quasi locutas feci dicat. **QVOD DICERET**, & lib. i. Κύριου παιδίας: τῶν ὁμοίων συμβάτων οἱ αὐτοὶ πόρους οὐχ' ὁμοίως ἀπὸ τῶν ἀρχαίων τε ἀνδρῶν, καὶ ἰδῶν του, ἀλλ' ἐπιχορηγεῖ ἢ τιμῆν τούτων πόρους τῶ ἀρχόντι. **EIVS IUDICIO STARE** & acquiescere. idem monet in oratione pro Plancio. **TVO TIBI IUDICIO EST UTENDUM**. & idem in ep. ad Curionem: Tecum loquere: te adhibe in consilium: te audi: tibi obtempera. nemo est, qui tibi sapiētius possit persuadere te ipso. numquam labere, si te audies.

CICERO

HOC igitur tibi propone, amplitudinem, & quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, quae maxima eminet contemendis, & despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si uacet populo, neque plausum captans se tantum ipsa deleat. Quin etiam mihi quidem laudabiliora uidentur omnia, quae sine uenditione, & sine populo teste fiunt: non quod fugiendus sit: (omnia enim benefacta in luce se collocari uolunt) sed tamen nullum theatrum uirtuti conscientia maius est. Atque in primis meditemur illud, ut haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebet. saepe enim multi, qui aut propter uictoriae cupiditatem, aut propter gloriae, aut etiam ut ius suum, & libertatem tenerent, uulnera exciperunt fortiter, & tulerunt, ūdem, omiſſa contentione, dolorem morbi ferre non possunt. neque enim illum, quē facile tulerant, ratione, aut sapientia tulerant, sed studio potius, & gloria. itaque barbari quidam, & immanes ferro decertare acerrime possunt, aegrotare uiriliter non queunt: Graeci autem, homines non satis animosi, prudētes, ut est captus hominum, satis, hostem adspicere non possunt, sed ūdem morbos toleranter, atque humane ferunt. at Cimbri, & Celtiberi in proelio exultant, lamentantur in morbo. nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiatur. sed, cum uideas, eos, qui aut studio, aut opinione ducantur, in eo perse-

quando, atque adipiscendo, dolore non frangi: debes existimare, aut non esse malum dolorem, aut, etiam si, quidquid asperum, alienumq. a natura sit, id appellari placeat malum, tantulum tamē esse, ut a uirtute ita obruatur, ut nusquam appareat. Quae meditare, quae so, dies, & noctes. latius enim manabit haec ratio, & aliquanto maiorem locum, quam de uno dolore, occupabit. nam, si omnia fugiendae turpitudinis, adipiscendaeq. honestatis causa faciemus: non modo stimulos doloris, sed etiā fulmina fortunae cōtemnamus, licebit; praesertim cum paratum sit illud ex hesternā disputatione perfugium. ut enim, si cui nauiganti, quem praedones insequantur, deus quis dixerit, eijce te de nauis; praesto est, qui excipiat, uel delphinus, ut Arionem Methymmaeum; uel equi Pelopis illi Neptunij, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te, & quo uelis, perferent; omnem omittat timorem: sic, urgentibus asperis, & odiosis doloribus, si tanti non sint, ut ferendi sint; quo sit confugiendum, uides. Haec fere hoc tempore putauisse dicenda: sed tu fortasse in sententia permanes. A. Minime uero: meq. biduo duarum rerum, quas maxime timebam, spero liberatum metu. M. Cras ergo ad clepsydram: sic enim duximus. sed tibi hoc uideo non posse deberi. A. Ita prorſus. & illud quidem ante meridiem; hoc eodem tempore. M. Sic faciemus, tuisq. optimis studijs obsequemur.

EXPLANATIO

EXAGGERATIONEM § Metaphora a terrae cumulo, quem proprie ab Aggerendo uocant Aggerem.
EVACET populo § careat populo. a populari iudicio sit aliena. **NEQVE plausum captans se tantum ipsa delectet.** § Id est, plausumq. non captans se tantum ipsa delectet. hoc si cui paullo dictum uideretur obscurius, quod tamen interdum usitatum est; legat, cum Sigonij libro: Neque plausum capter, sed se tantum ipsa delectet. ego nihil mutarem. Haec Paullus pater. Sine uenditatione, § sine ostentatione. **NYLYM theatrum** § nulla spectatorum multitudo. **MATVS est** § scilicet, testimonium. Sic uulgo celebratum est prouerbium: Conscientia mille testes. **NON satis animosi,** § Sic Ouidius, Graecia facundum, sed male forte genus. **VT est captus hominum** § id est, quam capax est hominum natura. **CIMBRI** § Germaniae populi, Oceano proximi. **CELTIBERI** § genus est hominum ex Galliarum Celtis, & Hispaniarum Iberis mixtum: unde Lucanus, Gallorum Celtae miscentes nomen Iberis. **TANTVLYM** § minimum. **PERFUGIVM** § mortem intelligit, ad quam sit perfugiendum tamquam ad finem dolorum. **ARIONEM METHYMNEVM** § Celebratissima est fabula Arionis Methymnei cytharoedi, a delphino uecti, de quo Herodotus, Gellius, Plinius, Solinus, ceteri. Est autem Methymna ciuitas in insula Lesbo uini generosifera. **EQVI Pelopis** § Respexit ad curule certamen Pelopis cum Oenomao, de Hippodamiae nuptijs, cuius Ouidius meminit, & passim alij. **Si tanti non sint,** § minuit, non auget: pro, si tam leues non sint, Ep. vii. lib. i. ad Lent. Tantam uim habet. **QVO sit confugiendum,** § nempe ad mortem, quae definit omnem dolorem. **IN sententia** § Epicureorum: qui dicunt, dolorem esse malorum maximum. **CRAS ergo ad clepsydram:** § Intelligendum est, Reuertamur: nimirum ad disputationem. clepsydri enim (id horologi aquarij genus est, praescribatur tempus acturis forenses, quibus exhaustis, amplius dicere uetabantur. Nomen deductum ab aquae furto. κλέπτω enim significat furor, & abscondo, καὶ τὸ ὕδωρ, id est aqua. **NON posse deberi** § quia scilicet promissam disputationem statim exacturus sis.

C I C E R O



IN

M. TVLLII. CICERONIS
TVSCVLANARVM

DISPVATIONVM

AD. M. BRVTVM

LIBRVM: III.

DE AEGRITVDINE LENIENDA,

Commentarius Aldi Mannuccij.



ARGVMENTVM



TVSCVLANA tertia animi aegritudinem, quam *ἀνία*
Graeci uocant, in sapientem cadere negat; sed eius af-
fectus, utiliter homini a natura datos, recta ratione
(quae uera est medela philosophorum) dirigendos, &
leniendos praecipit.

EXPLANATIO